



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 128. Vehementior Regis ira in Britanniaë, ac Burgundiaë Duces, &  
Carolesii Comitem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

cellarium invehi ausus esset; ast necdum Sæcul. XV. A.C. 1464.  
 emenso unius anni cursu illum temerita-  
 tis suæ poenitebit. Post hæc Dux cri-  
 mina sibi impacta diluere moliebatur, sed  
 legati ejus rationibus quicquam deferre  
 renuebant, unde post acerrimas utrinque  
 objurgationes colloquium re infecta so-  
 lutum est.

## §. CXXVIII.

*Vehementior Regis ira in Britannia,  
 ac Burgundia Ducis, & Caro-  
 lesi Comitem.*

Jam dudum Ludovicus Rex Britannum  
 ac Burgundum Ducis clandestina cum  
 Carolesio Comite consilia machinari su-  
 spicabatur, postquam vero ea, quæ Insu-  
 lis gesta fuissent, a suis Legatis inaudit,  
 conflatae conjurationis suspicio Regi  
 firmiter insedit. Nihilominus foederati  
 tanta dexteritate rem gessere, ut Rex ni-  
 hil eorum, quæ agitata fuere, detegere  
 potuerit, quamvis extremam prorsus ad-  
 hiberet solertiam. Ceterum præcipua  
 conspirationis capita erant præfati tres  
 Principes. Hi, ut sub auspiciis cujus-  
 dam Principis Regio sanguine orti rem  
 auspiciari possent, Carolum Bituricensis  
 Ducem Regis fratrem, qui tum non-  
 nisi duodeviginti annos natus aliunde  
 Ludovico minus carus erat, ad suas par-  
 tes

Sæcl. XV. A.C. 1464. tes pertrahere conantur, eidemque spem faciunt, fore, ut hoc pacto amplio- rem hæreditatis portionem a Rege obtineret, simulque sibi majorem nominis sui auctoritatem conciliaret.

## §. CXXIX.

*Regni Proceres contra Britannia Ducem a Rege Turonium convocati.*

Nihilominus Rex, ut Britannia Ducis potentiam frangeret, Turonium Proceres Regni sui convocabat, eisque indignationis suæ causas exponens affer- bat: Britannus sibi plura arrogat jura, quæ nullo pacto ei debentur, supremæ vero Majestati exitiosa sunt; quare mei muneris esse arbitror, ut ejusmodi ausibus frænum injiciam, & Ducem ad debitum obsequium reducam. Ad hæc Carolus Aureliae Dux primus regiae stirpis Princeps, cum regni calamitatibus vehementer commoveretur, in hoc confessu hac super re sermonem habere instituit, eo fine, ut Regem, regnique Proceres induceret, quatenus hisce malis opportuno remedio obviarent. Enimvero ut audiretur, ejus ætati, existimationi publicæ, ac dignitati Regiæ dari debuis- set, nihilominus sinistre intellectis illius monitis, Rex Principis libertate offensus erat, &